nisi auditis uerbis ad ea feratur animus quorum ista sunt signa. quare
ostendi nunc quomodo ista ratiocinatione deceptus quam me ho
minem non esse concluditur. Aug. Immo eadem rursus interrogabo. ut
ipse inuenias ubi lapsus sis. Ad. Benefacis. Aug. Illud ergo
quod primo quaesieram. quia iam dedisti non quaeram. uide igitur dili
gentius utrum sillaba ho nihil aliud sit quam ho. et utrum mo nihil
aliud sit quam mo. Ad. hic prorsus nihil aliud uideo. Aug. Uide
etiam num his duabus iunctis homo fiat. Ad. Nequaquam hoc concesse
rim. placuit enim et recte placuit. signo dato id quod significatur ad
tendere. et ex eius consideratione uel dare uel negare quod dicitur. Illae autem
separatim enuntiatae sillabae quia sine ulla significatione sonue
runt. hoc eas esse quod sonuerunt concessum est. Aug. placet igitur firmumque
animo tenes non respondendum esse interrogationibus. nisi ex his rebus quae
uerbis significantur. Ad. Non intellego quid displiceat si modo uerba sunt.
Aug. Uellem scire quomodo illi refelleres de quo iocantes solemus audire. quod
ex eius ore cum quo disputabat leonem processisse conclusit. Cum enim quae
sisset utrum ea quae loquerentur nostro ore procederent. atque ille non potuisset
negare quod facile fuit. egit cum homine ut in loquendo leonem no
minaret. hoc ubi factum est ridicule insultare coepit et premere.
ut quoniam quicquid loquimur ore nostro exire confessus erat. et leonem se locu
tum esse nequibat abnuere homo non malus tam immanem bestiam
uomuisse uideretur. Ad. Minime uero erat arduum scurrae huic resis
tere. non enim concederem ore nostro exire quae loquimur. Nam quae loquimur ea signi
ficamus. non autem res quae significatur. sed signum quo significatur loquentis
ore procedit. nisi cum ipsa signantur. quod genus paulo ante tractauimus.
Aug. Bene tu quidem hoc modo aduersus illum esses paratus. uerumtamen mihi
quid respondebis utrum homo nomen sit requirenti. Ad. Quid nisi esse no
men. Aug. Quid cum te uideo num nomen uideo. Ad. Non. Aug. Uisne
igitur dicam quod sequitur. Ad. Ne quaeso. nam mihi ipse renuntio me hominem non
esse quem nomen esse responderim. cum homo utrum nomen esset inquireris. Iam

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.18, 6r – Augustinus, De magistro
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-20r2/5297/50318)